

Verbum suum, quam anima Christi. Sunt ergo infiniti gradus medii possibles, inter modum quo Deus videt Verbum suum, et inter modum quo anima Christi videt ipsum. Ergo non est asserendum quod anima Christi perfectius videat Verbum vel essentiam divinam, quam qualibet alia creatura.

Sed contra est quod Apostolus dicit, ad Ephes. 1, quod Deus constituit Christum ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum, et Potestatem, et Virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Sed in illa caelesti gloria tanto aliquis est superior, quanto perfectius cognoscit Deum. Ergo anima Christi perfectius videt Deum, quam quavis alia creatura.

Respondeo dicendum, quod visio divinae essentiae convenit omnibus beatis, secundum participationem luminis derivati in eos a fonte Verbi Dei, secundum illud Eccles. 1: Fons sapientiae, Verbum Dei in excelsis. Huic autem Verbo Dei propinquius conjungitur anima Christi, quae est unita Verbo in persona, quam quavis alia creatura. Et ideo plenius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur, ab ipso Verbo, quam quaecunque alia creatura. Et ideo praeter ceteris creaturis perfectius videt ipsam veritatem, quae est Dei essentia. Unde dicitur Joan. 1: Vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti a Patre, plenum, non solum gratiae, sed etiam veritatis.

Ad primum ergo dicendum, quod perfectio cognitionis, quantum est ex parte cogniti, attenditur secundum medium; sed quantum est ex parte cognoscentis, attenditur secundum potentiam vel habitum. Et inde est quod etiam inter homines, per unum medium, unus perfectius cognoscit aliquam conclusionem quam alius. Et per hunc modum, anima Christi, quae abundantiori repletur lumine, perfectius cognoscit divinam essentiam quam alii beati, licet omnes ipsam Dei essentiam videant per se ipsam.

Ad secundum dicendum, quod visio divinae essentiae excedit naturalem potentiam cujuslibet creaturae, ut in prima parte dictum est<sup>1</sup>. Et ideo gradus in ipsa attenduntur magis secundum ordinem gratiae, in quo Christus est excellentissimus, quam secundum ordinem naturae, secundum quem natura angelica praefertur humanae.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra

<sup>1</sup> Q. 12, a. 4.

dictum est<sup>1</sup> de gratia, quod non potest esse major gratia quam gratia Christi, per respectum ad unionem Verbi, idem etiam dicendum est et de perfectione divinae visionis, licet, absolute considerando, possit esse aliquis gradus altior sublimiorque secundum infinitatem divinae potentiae.

#### COMMENTARIUS.

1. In superioribus articulis explicuit D. Thomas perfectionem scientiae beatae Christi ex parte objecti; nunc ostendit illius excellentiam ex parte luminis, seu potentiae, et hoc modo docet animam Christi clarius videre Deum omni alia creatura. Et tota littera articuli clarissima est.

2. Quae Cajetanus notat in solutione ad secundum et tertium, cavenda sunt et corrigenda; non solum enim falsa sunt, sed etiam contra expressam mentem D. Thomae hic, in solutione enim ad 2, ait D. Thomas gradus perfectionis in divina visione magis attendendos esse secundum ordinem gratiae, quam secundum ordinem naturae; unde infert Cajetanus, ex utroque capite oriri posse ut una visio sit perfectior alia, atque adeo perfectiorem intellectum cum eodem lumine perfectius videre Deum. Sed quidquid sit de re (quam ego sine dubio falsam existimo), in hac littera D. Thomae nullum habet fundamentum, sed ex illa potius contrarium non obscure colligitur, si argumenti intentio consideretur, et recte applicetur solutio; argumentum enim contendebat, Angelum perfectius videre Deum quam animam Christi, quia habet perfectiorem intellectum. Respondet D. Thomas negando consequentiam, et rationem reddit, quia illa visio est supra naturalem perfectionem potentiae creatae; intendit ergo concludere, perfectionem visionis non esse ex naturali perfectione potentiae, sed ex supernaturali, unde illa particula, magis, non sumitur in illo sensu comparativo, ut Cajetanus exponit, sed ut idem valeat quod potius, et ita non affirmat utrumque extremum, sed alterum affirmat, alterum negat.

3. In solutione vero ad tertium, ait D. Thomas, absolute loquendo, posse esse sublimiorem gradum visionis Dei, quam sit visio animae Christi, quod bene Cajetanus exponit ex sublimiori gradu, non in essentia, sed in intentione; male vero addit id non esse verum

<sup>1</sup> Q. 7, a. 12.

in eodem subjecto, seu in ipsamet anima Christi, sed in alio perfectiori, verbi gratia, in Angelo; putat enim ille (sicut supra de gratia vidimus) ita lumen gloriae non posse esse intensius de potentia absoluta, quam sit in anima Christi; unde infert nec visionem posse esse intensiorem in eadem anima; quia tamen existimat perfectiorem potentiam cum eodem lumine perfectiorem visionem elicere, ideo dicit in Angelo posse esse perfectiorem visionem, quia potest esse aequale lumen; quae doctrina et duobus nititur falsis fundamentis (ut visum est), et non sibi constat, quia nullam potest reddere rationem, cur visio Dei, quae est quaedam qualitas, possit in infinitum intendi vel in uno, vel in diversis subjectis, et non lumen gloriae; ostensum est autem supra, si in diversis potest, etiam in eodem posse. Sed, quidquid de re sit, constat totum esse contra mentem D. Thomae hic, qui non loquitur de diversis subjectis, sed de eodem, et ideo non tribuit hoc perfectioni subjectorum, sed infinitati divinae potentiae.

#### DISPUTATIO XXVI,

In tres sectiones distributa.

##### DE PERFECTIONE SCIENTIAE BEATAE ANIMAE CHRISTI.

1. Scientia beata animae Christi ejusdem speciei cum visione beatifica aliorum beatorum. — Triplex perfectio in hac scientia, sicut in aliis, considerari potest, scilicet, essentialis seu specifica; intensiva, seu in claritate majori intra eandem speciem; tertia, quasi extensiva, seu ex parte objecti. De prima, seu essentiali perfectione, nihil oportet in praesenti dicere. Suppono enim esse in Theologia certum, hanc scientiam in anima Christi esse ejusdem speciei cum visione beata aliorum beatorum; nam sacra Scriptura promittit nobis consortium ejusdem beatitudinis cum Christo homine, unde dicimur, heredes Dei, coheredes autem Christi, ad Rom. 8. Quem locum ad hoc ponderant ibi Anselm. et Beda, qui etiam refert Augustinum; Ambrosius etiam ibi declarat quid sit esse coheredes, ex illo 1 Joan. 3: Videbimus eum, sicuti est, idem visionis genus Christo et aliis beatis attribuens. Recte etiam declaratur ex verbis ejusdem Christi, Joan. 8: Ubi ego sum, illic et minister meus erit; et apertius, c. 14: In domo Patris mei mansiones multae sunt; et infra: Vado parare vobis locum, ut ubi ego

sum, et vos sitis; et similia habet c. 17; et ex iis quae dicta sunt de gratia animae Christi, hoc etiam concludi potest; ostendimus enim ibi gratiam habitualement Christi esse ejusdem speciei cum nostra; eadem autem est ratio de gloria, seu visione beata, quae est ultimus finis connaturalis ipsi gratiae. Et confirmatur praeterea, quia Christus est caput Ecclesiae homogeneum, et ideo sicut est nobis simile in natura, ita et in gloria. Denique valde probabile existimo quod Cajetanus hic etiam indicavit, nullam visionem vel scientiam beatam Dei posse esse perfectioris speciei et essentiae, quam sit illa visio qua Angeli vel homines vident Deum, quia nec potest propinquius attingere Deum, neque ab ipso procedere immediatius; ergo visio animae Christi, quamvis perfectissima sit, non est tamen speciei diversa. Et in hoc videntur Theologi omnes, tanquam in re certa, convenire fere sine disputatione. Ex quo infertur ita sentiendum esse de lumine gloriae, et de specie intelligibili, et de aliis proprietatibus hujus scientiae quae illi conveniunt, quatenus est clara visio Dei, et ultima beatitudo intellectualis naturae, sicut de visione beata secundum se Theologi sentiunt, et tractatur in 4 p., q. 12.

2. De secunda, seu intensiva perfectione, illud etiam tanquam certum supponimus, hanc scientiam esse perfectiorem et clariorem in anima Christi, quam in omnibus aliis, tam hominibus quam Angelis, quod est sine dubio de fide certum ex communi consensu, et perpetua traditione totius Ecclesiae, et ex illo Pauli, ad Ephes. 1: Constituens eum super omnes principatus, etc., et ex aliis locis supra saepe citatis, in quibus dicitur, plenus gratia et scientia, et in eo esse omnes thesauros sapientiae et scientiae Dei; et quia in hoc sensu dicitur Christus, ut homo, sedere ad dexteram Dei, ut 2 tom., disp. 52, sect. 3, exponemus. Denique ratio facile sumitur ex illis verbis ad Hebr. 2: Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius praeter illis nomen hereditavit; ipse enim est Filius naturalis, illi adoptivi; ergo illi sine dubio data est perfectior et major hereditas. Et confirmatur, nam ipse est principium et fons gloriae omnium beatorum; ergo superat omnes in gloria. Legatur Cyrillus, l. 1 in Joan., c. 17, ubi elegantissime comparat gloriam animae Christi cum gloria Sanctorum omnium, dicitque esse longe absque comparatione sublimiorem, quia habet gloriam, quasi Unigenitus Patris. Nec de illa perfectione aliquid amplius dicere possumus; sed de illa



eodem modo judicandum est, sicut supra, in simili dubio, de perfectione gratiæ respondimus; est enim summa, quæ de potentia ordinaria esse potest, quamvis de potentia absoluta possit esse major, ut hic etiam, circa art. 4, cum D. Thoma notatum est, et magis ex sequenti disputatione patebit.

3. De tertia igitur perfectione superest nobis disputatio, scilicet, ex parte objecti, in quo distinguendum est objectum primum, quod est Deus clare visus, ab objecto secundo, quod sunt creature visæ in Deo, et de utroque sigillatim dicendum est.

#### SECTIO I.

*Quid sit de ratione comprehensionis intellectualis alicujus, præsertim divinæ essentia.*

1. Necessarium existimavi, quæstionem hanc in hujus disputationis initio adjungere, ne, vocibus abutendo, in illa laboremus in æquivoco.

2. *Comprehensionis vox multiplex.* — *Intellectualis quævis perceptio interdum comprehensio appellatur.* — Primum ergo supponenda est vulgaris distinctio comprehensionis in commentario articuli primi breviter annotata; interdum enim sumitur pro assecutione seu obtentione rei quam insequimur, interdum pro exacta et perfecta rei cognitione vel inclusione, ut sic dicam. Est enim hæc vox translata a corporalibus ad intellectualia. Et in corporalibus comprehendere, idem est quod apprehendere, et opponitur insecutioni, ut notavit D. Thomas, 1 p., q. 12, art. 7, ad 1; aliquando vero idem significat quod totam rem complecti et includere; ut quando rem parvæ quantitatis manu concludimus, vel quando locus æqualis totum circumambit locatum. Hinc ergo in spiritualibus, quoniam mens proprium habet motum quo suum objectum inquirat, et præsertim Deum, quando illum ita assequitur ut suum desiderium et inquisitionem terminet, comprehendere dicitur, etiam si non exacte cognoscat. Sic dicit Paulus, ad Philip. 3: *Sequor, si quo modo comprehendam;* dicens enim, *si quo modo,* satis denotat illam comprehensionem non fore perfectam et exactam pro objecti dignitate, esse vero terminum sui cursus et insecutionis, et ideo comprehensionem vocari. Unde 1 Cor. 9, ad omnes fideles loquens, ait: *Sic currite ut comprehendatis;* ad Ephes. 3: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis,* etc., usque ad id, *supereminentem scientiæ*

*charitatem Christi.* Ex quo ultimo verbo constat, illam comprehensionem non fore exactam, cum charitas Christi superet nostram scientiam. Hinc comprehensio attribuitur aliquando hominibus in hac vita, si pro ratione status, perfectam cognitionem, quæ in illo haberi potest, assequantur. Et apud Latinos, intellectualis perceptio solet interdum generaliter comprehensio vocari. Specialiter autem solent hoc modo beati cum Christo regnantes comprehensores vocari. Quo sensu Nazian., orat. 28, cum multa de Beatissima Trinitate disputasset, in fine concludit: *In hoc igitur commune nomen crede, et prospere incede et regna; atque hinc ad alterius vitæ beatitudinem transibis. Ea porro (ut mihi quidem videtur) in expressiori horum cognitione et comprehensione sita est.* De hac vero comprehensione nihil est quod dicamus; supponimus enim hoc modo posse Deum comprehendere ab homine, quia potest ab eo clare, et prout in se est, videri, non in hac vita, nec naturali virtute, sed in futura et virtute supernaturali, ut 1 p., q. 12, latius disseritur.

3. *Stricta comprehensionis significatio.* — Alia ergo acceptio comprehensionis pro exacta rei cognitione et adæquata, est magis stricta et propria, et de illa intelligitur præsens quæstio, quas scilicet condiciones requirat cognitio aliqua divinæ essentia, ut sit vera ac propria comprehensio ejus.

4. *Comprehensionis arcte sumptæ acceptiones ab aliquibus confictæ refutantur.* — Circa quam difficultatem Ocham, in 4, q. 13, a. 1; Gab., in 3, d. 14, a. 3, dubio 2; Almain. ibi, q. 1; Major, q. 2, ad finem, quinque modos comprehensionis distinguunt sine ulla methodo vel ratione, ut bene notavit Soto, in 4, d. 49, q. 8, art. 1. Primus vero illorum, qui est videre rem totam clare et distincte, coincidit in præsentem materia cum priori membro a nobis exposito in præcedente distinctione. Secundus autem, scilicet, quod comprehensio sit cognitio totius, et omnium partium distincte, est impertinens, quia de ratione comprehensionis ut sic, non est quod sit de re habente partes; et quando circa illam versatur, non est illa diversa acceptio comprehensionis, cum contineatur in ratione distinctæ et exactæ cognitionis. Atque idem est de quarta acceptione, scilicet, quod comprehensio est illa cognitio qua cognoscuntur omnia prædicata quæ de tali objecto cognosci possunt, hæc enim non est diversa acceptio comprehensionis, sed in adæquata ratione comprehen-

sionis includitur. Nec vero hæc sola conditio sufficit ad rationem comprehensionis, absolute loquendo; nam beati cognoscunt omnia prædicata quæ in Deum conveniunt, illum tamen non comprehendunt, nisi primo illo lato modo. Major negatur a dictis auctoribus; existimo autem esse verissimam, quia non prædicantur de Deo nisi quæ formaliter in illo reperiuntur; beati autem vident in Deo omnia quæ formaliter sunt in ipso. De aliis duobus membris, quæ dicti auctores ponunt, dicetur in sequente distinctione.

5. *Quot alii acceptiones assignent.* — Alii ergo videntur duplicem comprehensionem distinguere. Una dici potest comprehensio extensiva tantum, alia vero extensiva et intensiva simul. Hæc videtur fuisse sententia Godofredi, Quodlib. 6, q. 3, ut sumitur ex his quæ de illo refert Capr., in 4, d. 49, q. ult., a. 2, argument. 4. Comprehensio autem intensiva tantum, et non extensiva, non datur; quia si cognitio habet totam perfectionem intensivam, quæ potest haberi circa tale objectum, fieri non potest quin illud extensive etiam comprehendat, quia cognitio, quo est intensive perfectior, eo, cæteris paribus, magis penetrat objectum, et quod in illo est. Comprehensio ergo extensiva dicitur illa cognitio qua cognoscitur objectum, et quidquid in illo est formaliter vel eminenter; atque adeo erit illa cognitio, qua objectum, et omnis modus ejus, et quidquid in illo cognosci potest, cognoscatur. Potest autem tota hæc cognitio de objecto haberi cum majori vel minori claritate aut intensione, seu perfectione intensiva; quando ergo cognitio habuerit totam illam extensionem, non tamen omnem claritatem, vel intensivam perfectionem quam habere potest, dicitur cognitio comprehensiva tantum extensive, quia in extensione habet totum quod habere potest, et exhaurit rem, in intensione vero non item. Unde, quod talis cognitio sit aliquo modo comprehensio, videtur evidens ex terminis, et a fortiori patebit ex dicendis; an vero sit simpliciter comprehensio, vel tantum secundum quid, illud potest in quæstionem verti, de quo statim. Quando ergo cognitio habuerit etiam summam claritatem, et intensivam perfectionem, dicitur comprehensio extensiva et intensiva, atque adeo comprehensio simpliciter absque controversia. Sed est hic considerandum, duobus modis posse intelligi, cognitionem exactam in extensione, esse etiam summam in perfectione intensiva. Uno modo absolute in

genere entis, seu in tota latitudine intelligentium, et hæc videtur esse altera acceptio comprehensionis, quam Nominales ponunt. Sed est impropria, et gratis conficta, nam juxta illam sola Dei cognitio est comprehensio respectu cujuscunque objecti, et ita nulla res erit comprehensibilis ab alio quam a Deo, quod ridiculum est. Sequela patet, quia solus Deus potest habere de quacunque re cognitionem summe perfectam in intensiva perfectione; ergo, si hoc est necessarium ad rationem comprehensionis simpliciter, nulla est alicujus rei comprehensio, nisi sola cognitio Dei. Alio modo potest id intelligi respective, seu proportionate, nimirum, ut quanta est intensiva perfectio objecti cogniti in ratione intelligibilis, tanta sit perfectio cognoscentis, ut sic, seu cognitionis in ratione intellectionis; et quia Deus est objectum intelligibile infinite perfectum intensive, illa sola sit comprehensio intensiva ejus, quæ habuerit infinitam claritatem et perfectionem; et sic de aliis proportionate.

6. Juxta hanc ergo distinctionem, ad quæstionem propositam erit etiam sub distinctione respondendum; nam ad comprehensionem extensivam, necessarium erit et sufficiens, cognoscere omnia quæ in objecto continentur; ad comprehensionem vero intensivam, ultra id requiretur ut ea omnia cognoscantur, quantum tale objectum cognoscibile est, id est, cum tota ea claritate et perfectione intensiva, quam ex natura sua requirit ut exacte cognoscatur. Quod si absolute respondendum est, utraque conditio dicetur necessaria ad comprehensionem simpliciter, quia comprehensio dicit adæquatam rei cognitionem; non est autem adæquata simpliciter, nisi in intensione et claritate habeat proportionem et commensurationem cum re; ergo neque erit comprehensio simpliciter. Minor colligitur ex D. Thoma hic, art. 2, ad 3, ubi dicit, quantitatem cognitionis non attendi tantum ex numero scibilium, sed etiam ex claritate; et in eodem sensu videtur dicere hic, art. 1, ad 1, et 1 p., q. 12, art. 10, ad comprehensionem non satis esse cognoscere totum objectum, sed necessarium esse cognoscere totaliter. Quid autem sit cognoscere totaliter, declarat, docens non esse intelligendum ex parte objecti, id est, quia nihil in ipso lateat; nam hoc habet cognitio qua absolute videtur totum objectum, ita ut nulla ratio ejus non videatur; sed intelligendum esse ait ex parte modi, scilicet, ut tam perfecte vi-



deatur objectum, quantum visibile est; id est, tam perfecto modo, quantum natura sua est aptum cognosci. Et eandem doctrinam repetit D. Thomas, lib. 3 cont. Gent., c. 55, et q. 8 de Verit., art. 2, in corp., et ad 2 et 6, quibus locis utitur exemplo cognitionis per opinionem, quam dicit non esse comprehensionem, etiamsi non ignoretur aliquid in principio, vel conclusione, solum quia in modo cognitionis est imperfecta. Citari potest pro hac sententia Durand., in 1, d. 35, q. 1, n. 10, ubi ait, cognoscere rem comprehensive, esse cognoscere illam omni modo quo cognosci potest. Et in 3, d. 14, q. 2, n. 6, ait, licet creatura videat in Deo omnia, non esse tamen illam perfectissimam cognitionem. Unde significat non fore comprehensivam. Idem clarius dicit ibi Scotus, q. 2, § Potest dici, et § Ad 2 q. Et hanc sententiam necessario sequi debent omnes qui existimant posse creaturam videre in Deo omnia, non solum futura, sed etiam possibile, et tamen non comprehendere ipsum. Ejus modi est Aureol., apud Capreol., 4, d. 49, q. ult., a. 2; Bachon., in 3, d. 14, q. 1, a. 3; Greg., 1, d. 14, q. 4, a. 2, ad 9; Gab., 3, d. 14, a. 2, conc. 2, et a. 3, dub. 2; Major, ib., q. 2, ad fin., et 4, d. 49, q. 15. Imo et Soto ibi, q. 3, a. 3, conc. 5, ad 2 arg. cont. illam, ait quod, licet quis videret omnia in Deo, non comprehenderet ipsum, si non infinita claritate videret, de qua re plura dicemus, sect. 3.

7. Sed quanquam hæc doctrina, recte intellecta, sit vera, scilicet, ad comprehensionem necessarium esse etiam modum perfectum ex parte cognoscentis, et proportionatum objecto cognito, nihilominus non existimo distinctionem illam esse necessariam; quia non potest esse comprehensio vera et propria ex parte objecti cogniti, quin sit etiam intensive sufficienter perfecta, ut comprehensio simpliciter dici possit. Quod per sequentes propositiones in hunc modum declaro.

8. *Prima conclusio.*—Dico primo, ad comprehensionem intellectualem necessarium esse ut cognitio sit clara, evidens et certa, cum debita proportionem ad objectum cognitum. Hæc assertio est expressa D. Thom. citatis locis, et tam clara, ut non possit in dubium revocari, quia qui non habet rei evidentiam, tantum potest aut per fidem, aut per extrinsecam media et probabilia, veritatem cognoscere; cognitio autem per fidem aut per rationem probabilem, potius ignorationis quam comprehensionis nomen meretur. Unde, sal-

tem quoad hoc, id est, quoad claritatem et evidentiam cognitionis, clarum est ad comprehensionem requiri aliquem modum perfectum ex parte cognitionis, nam claritas et evidentia, modus cognitionis est. Quomodo autem hæc claritas esse debeat proportionata rei cognitæ, ita declarari potest: nam objectum est cognoscibile ut verum; potest ergo in objecto esse veritas simplex, seu immediata, qualis a nobis intelligitur esse in primis principiis, aut mediata, qualis est in conclusionibus, quarum extrema, non persese, sed medio aliquo copulantur. Ad comprehensionem ergo, ut minimum, necessarium est ut tanta sit claritas in cognitione, quanta sufficiat ad cognoscendam veritatem objecti, prout in se est; si immediata fuerit, ex vi cognitionis extremorum; si mediata, ex vi illius proprii medii quo extrema copulantur. Et secundum hanc considerationem est imprimis de ratione comprehensionis, ut per illam cognoscatur objectum, quantum cognoscibile est ex parte medii, seu modi cognoscendi, ut declaratum est. Et ratio est aperta, quæ magis etiam declarat causam a priori, ob quam non potest esse comprehensio, nisi sit etiam cognitio evidens et clara, scilicet, quia, si veritas esset immediata, et non cognosceretur per seipsam, seu ex vi cognitionis extremorum, necesse esset habitudinem propriam, quam inter se habent illa extrema, a cognoscente ignorari; nam, si illam cognosceret, simul etiam videret quo vinculo inter se conjungerentur; si autem illa habitudo ignoratur, non comprehenditur objectum, quia non cognoscitur secundum omnem habitudinem realem quam in se habet. Similiter, si veritas objecti sit mediata, et non cognoscatur per proprium medium, necesse est ignorari habitudinem propriam, quam illa extrema habent cum tali medio, et consequenter necesse est talem veritatem non comprehendendi. Atque hinc fit ut neque evidentia a posteriori, sive per effectum, ad comprehensionem sufficiat; quia illud, quod est medium cognitionis a posteriori, non est medium ipsius rei, seu quo extrema in re ipsa copulantur; et ita ex vi talis cognitionis non cognoscitur propria et intrinseca habitudo, quæ est in objecto ipso, ad medium vel causam unde ejus veritas pendet, et ideo, quo cognitio fuerit per medium magis extrinsecum, ut est in fide vel opinione, eo magis distabit cognitio a perfecta comprehensione; neque ex vi talis cognitionis videtur res et veritas ejus, prout in se est, nec proprius et adæquatus

ejus conceptus formatur, ideoque non potest veram rationem comprehensionis attingere.

9. *Secunda conclusio.*—Dico secundo: de ratione comprehensionis est ut sit cognitio tam clara et intensa, quantum necesse est ad exacte cognoscendas et penetrandas in objecto cognito omnes habitudines et connexiones quas ex natura sua habet, et habere potest, cum omnibus rebus a quibus ipsum pendet, et quæ ab ipso pendere possunt. Hæc conclusio videtur ex ipsis terminis evidens, et ex descriptionibus comprehensionis communiter receptis constare potest. Est enim de ratione comprehensionis, ut per eam res cognoscatur, quantum cognoscibilis est, ex D. Thom. citatis locis, tum hic, tum 1 p., q. 12, art. 7, et 3 contra Gent., c. 55; ergo oportet ut saltem ex parte objecti distinctissime cognoscatur quidquid in eo est, et omnis habitudo ac connexio sub qua cognosci potest. Item ex Augustino, 12 de Civit., c. 18, ep. 112, c. 5, 6, 7 et 8, et serm. 38 de Verb. Domini, asserente, comprehensione circumscribi et quasi finiri objectum comprehensum, quantumvis infinitum; sed non omnino circumscribitur objectum et finitur, nisi cognoscatur quidquid in illo est, et in illo cognosci potest, et secundum omnem habitudinem qua potest cognosci; ergo hoc saltem ad comprehensionem necessarium est. Tandem ex ipsa metaphora, quia comprehensio materialis seu quantitativa dicit adæquationem et inclusionem perfectam rei comprehensæ in comprehendente; ergo intellectualis comprehensio hoc etiam requirit.

10. *Occurritur objectioni.*—Dices: ergo nulla creatura potest aliam comprehendere, quia non potest eam cognoscere distincte secundum omnem habitudinem quæ in ea cognosci potest, saltem in ordine ad divinam potentiam; nam infinita sunt quæ potest Deus in illa, vel per illam operari, quæ non possunt a creatura exhauriri. Respondetur, unam creaturam virtute naturali posse aliam comprehendere secundum naturalem perfectionem et potestatem ejus, non tamen secundum obedientialem, ut argumentum ostendit. Hoc autem non pertinet ad rei comprehensionem simpliciter et proprie dictam. Satis est enim exhaurire naturam ejus; nam cognoscere quæ per potentiam obedientialem fieri in ea possunt, magis est cognoscere Dei omnipotentiam, quam creaturam ipsam perfectius cognoscere, præsertim quoad ea quæ naturalia ei sunt. Adde denique, esto non pos-

sit una creatura virtute naturali cognoscere quidquid per obedientialem potentiam in alia creatura et per illam fieri potest, tamen virtute supernaturali, seu per aliquod divinum lumen fieri posse ut una creatura, etiam sub hac ratione, comprehendat aliam; ad hoc enim non est necesse comprehendere omnipotentiam Dei, sed satis erit cognoscere illam clare et distincte secundum aliquam latitudinem effectuum, quod non repugnat; nam, ut videbimus, sine comprehensione possunt in Deo videri infinita, atque adeo potest videri omnipotentia Dei cum habitudine ad totam aliquam latitudinem infinitorum effectuum, et multo magis poterit, cum habitudine ad omnia quæ in aliqua creatura operari potest, absque comprehensione videri.

11. *Tertia conclusio.*—Dico tertio: si cognitio habet eam perfectionem et claritatem quæ sufficit ad cognoscendum objectum ex parte ejus exacte et perfecte, id est, ad cognoscendum quidquid in eo est formaliter vel eminenter, et ad penetrandam omnem rationem formalem ejus, et omnem habitudinem distinctissime, talis cognitio est vera comprehensio. Hæc est sine dubio sententia D. Thomæ, quæ sumitur ex his quæ docet, tum hic, a. 2, tum 1 p., q. 12, a. 8, et 3 cont. Gent., c. 55 et 56, et ubicunque docet creaturam non posse elevari ad videndum quæcunque sunt in Deo eminenter, quia alias comprehenderet ipsum. Hæc enim ratio locum non haberet, si ad comprehensionem aliquid aliud necessarium esset; facile enim dici posset, etiam si creatura videret ea omnia in Deo, ipsum non comprehensuram, quia non summa intensione, claritate aut perfectione videret. Et ita conclusionem hanc supponunt Thomistæ, quos sect. 3 referam. Sumitur hæc veritas ex Augustino, ep. 112, c. 8, ubi ait tunc aliquid comprehendendi, quando totum ita videtur ut nihil ejus lateat videntem; quamobrem ait, hoc modo Deum a nullo visum esse, quod tam de Angelo quam de homine intelligit absque dubio. Eodem modo loquitur Chrys., homiliis de Incompreh. Dei nat., præsertim 1 et 5, et alii quos sect. seq. commemorabimus.

12. *Ratio pro conclusione.*—Ratione declaratur ex metaphora ipsa comprehensionis; sumpta est enim ex quantitativibus quæ secundum extensionem suam ita commensurantur, ut una omnino aliam capiat et complectatur; sic ergo, comprehensio intellectualis in adæquatione quasi extensiva consis-



tit, qua, scilicet, intellectus capiat totum quod est in objecto, secundum omnem extensionem, vel quasi extensionem ejus ad omnia illa quæ aliquo modo in se continet, vel ad omnia illa ad quæ quovis modo dicere potest habitudinem. Quod vero ultra hanc adæquationem seu proportionem intercedat alia in intensione et perfectione, conferet quidem ad aliud genus æqualitatis et proportionis in genere entis, non tamen ad rationem comprehensionis. Unde, licet sit evidens unam cognitionem totalem objecti, prout a nobis explicata est, posse esse perfectiorem alia in entitate et claritate specifica, seu graduale, tamen id certe non tollit absolutam rationem comprehensionis, imo nec variat rationem ejus, prout hac voce significatur. Sicut in corporalibus, quod unum corpus continens aliud sit majus aut perfectius, non impedit quominus aliud corpus minoris quantitatis aut perfectionis vere comprehendat, si vere totum aliud intra se claudit. Confirmatur ex communi modo loquendi de comprehensione intellectuali; tunc enim rationem aliquam nos comprehendere putamus, quando totam ejus vim clare percipimus. Quod autem id sit summa attentione, nihil ad hoc conferre censemus. Quod autem in hac vulgari acceptione comprehensionis accidit, proportione servata, contingit in exacta comprehensione. Unde nunquam censetur incomprehensibile aliquid objectum, quia ex parte cognoscentis non possit perfectissimo actu attingi, sed quia res ipsa exacte, secundum omnia quæ includit, non possit cognosci.

13. Quamobrem non existimo necessariam illam distinctionem de comprehensione extensiva tantum, vel etiam intensiva, quam in modo loquendi immorandum non sit, dummodo constet extensivam comprehensionem, simpliciter et absolute comprehensionem esse, ut probatum est. Quod vero illa cognitio, quæ totam hanc perfectionem extensivæ comprehensionis habuerit, et ultra illam addiderit majorem intensivam, claritatem aut specificam perfectionem, ratione hujus excessus dicatur intensiva comprehensio, vel super comprehensio, aut alio simili modo, parum nostra refert; solum observandum est ut terminis usitatis, et qui æquivocationem non pariant, utamur. Quapropter, quod nonnulli dicunt, ad comprehensionem requiri ut sit tam perfecta sicut objectum ipsum, si intelligatur de perfectione in genere entis, et de æqualitate

simpliciter, est plane falsum; alias non posset Angelus comprehendere se, vel inferiorem, quia cognitio ejus est quoddam accidens quod non exæquat in sua perfectione substantiam cognitam. Item, quia sine ullo rationis fundamento talis conditio postulatur; nam cognitio, et res cognita, in ratione actus et objecti servare debent proportionem, non vero æqualitatem in genere entis. Rursus quod nonnulli contendunt, solam illam cognitionem dicendam esse simpliciter comprehensionem, quæ est absolute et simpliciter perfectissima cognitio quæ de tali objecto esse potest, tam in his quæ de illo cognoscuntur, quam in modo quo cognoscuntur, verum non est, neque probabile, ut convincunt ea quæ adduximus. Et quia alias nulla cognitio creata esset comprehensio alicujus objecti, quia divina cognitio est perfectior illa, saltem in modo cognoscendi. Similiter, quod alii dicunt, ad comprehensionem requiri ut sit tanta perfectio in cognitione in esse cognitionis, quanta est in objecto, ut cognoscibile seu intelligibile est, vel incidit in id quod diximus, vel verum non est. Duobus enim modis dici potest res cognoscibilis: uno modo, proxime et formaliter, et sic dicitur cognoscibilis per denominationem extrinsecam a facultate cognoscendi, quæ in alio est, et ita res est perfectius cognoscibilis a perfectiori cognoscente; ergo cognoscibilitas objecti in hoc sensu esse non potest mensura comprehensionis; nam hoc modo tantum est res cognoscibilis, quanta est vis cognoscendi in alio; non dicitur autem cognitio comprehensiva per comparisonem ad virtutem cognoscendi, sed ad objectum ipsum in se, ut, scilicet, omnino cognoscatur. Alioquin sequeretur, vel unumquemque comprehendere objectum, si tota virtute sua illud cognoscat, etiam si non penetret totum quod in illo est, quia cognoscit illud, quantum ab ipso cognoscibile est. Vel, si comparatio non est facienda cum virtute ipsius cognoscentis, sed absolute, sequitur quod antea inferebam, nullam rem comprehendere nisi a solo Deo, quia a solo ipso cognoscitur, quantum cognoscibilis est absolute et simpliciter secundum hanc extrinsecam denominationem. Alio modo potest dici res cognoscibilis ex se, seu fundamentaliter, quatenus ens est et verum; et ita dicitur perfectius ens ex se perfectiorem cognitionem requirere ut comprehendatur, et perfectius principium cognoscendi. Sed hæc ipsa cognitionis perfectio in tantum ad comprehensio-

nem necessaria est, in quantum ad perfecte penetrandum tale objectum, et distincte illud cognoscendum secundum omnia quæ in se continet, et secundum omnem habitudinem suam, necessaria esse potest. Quod si ad hunc gradum perfectionis cognitio attingat, jam habet exactam adæquationem cum objecto, et manifestat seu cognoscit illud, quantum cognoscibile est. Quod vero majori minorive intensione, aut entitativa perfectione cognoscatur, materiale est; et id non potest fundari in ipso objecto, sed in perfectione cognoscentis.

14. *Objectio. — Responsio.* — Dices: objectum perfectius et altius non solum est ex se cognoscibile, quoad tales rationes, vel habitudines quæ in ipso, vel per ipsum cognoscuntur, sed etiam quoad modum cognitionis in claritate vel intensione; ergo adæquatio etiam in hoc potest esse necessaria ad rationem comprehensionis simpliciter. Consequentia patet, quia per comprehensionem debet cognosci objectum, quantum ex se cognoscibile est, quoad omnem modum perfectionis, quam ex se requirit in cognitione sibi adæquata. Antecedens autem probatur, quia objectum ex se est principium perfectæ cognitionis sui, vel immediate, ut in visione Dei, vel mediante specie intelligibili, quam natum est producere vel habere; sed objectum ex se non solum est natum habere speciem vel activitatem adæquatam quoad representationem extensivam cognitionis, sed etiam quoad intensivam. Unde objectum visibile intensiorem speciem producit in visum propinquum et bene dispositum, quam in distantem et male affectum; et non censetur videri quantum visibilis est, nisi quando speciem sibi adæquatam in intensione producit. Et potest in hunc modum explicari: nam Angelus, verbi gratia, intuens seipsum per suam substantiam, comprehendit se, quia non solum cognoscit omnia quæ in se habet, sed etiam claritate intensivæ adæquata suæ activitati in ratione objecti cognoscibilis, seu intelligibilis; unde ab inferiori Angelo non comprehenditur, etiam si quoad omnia cognoscatur, id est, quoad omnem modum cognitionis in objecto, quia quoad modum cognitionis non ita exacte cognoscitur. A superiori autem Angelo, licet intensius et clarius cognoscatur, tamen ille excessus est ultra eum modum cognitionis, quem objectum ex se requirit; et ideo non obstat quominus sine illa majori intensione vel claritate possit esse

comprehensio talis objecti. Simili ergo modo in objecto quovis intelligibili sola illa cognitio erit comprehensio ejus, quæ fuerit adæquata illi in omni modo cognitionis quasi intrinseco et proportionato perfectioni objecti. Respondeo imprimis, objectum posse considerari in ratione termini et materiæ circa quam versatur cognitio, et in ratione moventis seu principii, et ad rationem comprehensionis satis esse quod cognitio sit adæquata objecto, ut termino, sive sit adæquata illi in ratione principii et motivi, sive non; quia comprehensio formaliter consistit in adæquatione extensiva, ut ostendimus; et hæc sumitur ex habitudine ad objectum in ratione termini. Item hæc adæquatio est quasi formalis in cognitione, quatenus cognitio est; alia vero est communis in ratione effectus et causæ agentis, sub qua habitudine non tam effectus comprehendit causam cujus virtuti adæquatur, quam e converso causa comprehendat effectum. Ad comprehensionem ergo intellectualem videtur impertinens, quod objectum efficiat ex se intensiorem, vel minus intensam speciem. Deinde dicitur, in objectis per se primo intelligibilibus nunquam unam adæquationem esse separabilem ab alia, et objectum nunquam comprehendere posse quoad omnes rationes cognitivas, nisi per speciem adæquatam activitati objecti. Quod sic declaro, quia, si est sermo de rebus materialibus, hæc tantum sunt in potentia intelligibiles, unde nullam habent ex se vim effectivam speciei intelligibilis, et ideo ex parte earum non potest hæc adæquatio considerari; sed omnis intellectio, quæ habuerit sufficientem perfectionem intensivam ad penetranda hæc objecta exacte ex parte eorum, erit sufficiens ad eorum comprehensionem. Si vero tractemus de objectis creatis actu intelligibilibus, ut sunt substantiæ angelicæ, et animæ separatæ, hæc nunquam adæquate ex parte objecti cognoscuntur, nisi per actum adæquatam etiam, seu proportionatam potius et connaturalem, vel per alium superioris ordinis; et ita Angelus superior naturaliter non comprehenditur ab inferiori, sed vel a se, vel a superiori. Unde colligimus, illam intellectionem, quæ in intensiva perfectione vel claritate non est adæquata talibus objectis, non esse etiam sufficientem ad penetranda illa objecta exactissime, etiam quoad extensionem, seu quoad modum perfectæ cognitionis ex parte eorum. Atque eadem ratione, ascendendo ad Deum, nulla cognitio esse potest sufficiens ad Deum comprehen-